

TRIVMVIROS
HALBERSTADENSES

CLEMENTEM II. PONTIFICEM ROMANVM,
IOANNEM SEMECAM PRAEPOS. MAIOREM,
CONRADVM DE HALBERSTAD ORD. DOMINIC.

D. O. M. A.

PRAESIDE

IO. ANDR. SCHMIDIO,

ABBATE MARIAEVALLENSI,

SS. THEOL. D. EIVSQUE ET ANTIQ. SACR. P. P. O.

ORDINIS SVI SENIORE,

PATRONO PRAECEPTORE ET HOSPITE SVO

FILIALI OBSEQVIO DEVENERANDO

DELINEATOS

SOLENNI ERVDITORVM DISQVISIONI

ANNO MDCCCXV. D. XVIII. MAII

SISTET

RESPONSIVVS AVTOR

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS ERHARD,
MARIAE-VALLENSIS.



HELMSTADII,

APUD GEORG-WOLFGANGI HAMMII, ACAD. TYPOGR.

a. CV. 52.

ll. diss. A
5, 52

VIRO SUMME VENERABILI
DOMINO
IOANNI ANDR. SCHMIDIO
THEOL. DOCT. EIVSQUE ET ANTIQ. SS. P.P. O.
ORDINIS SVI SENIORI CELEBERRIMO,
MONASTERII ET PRAELATVRAE MARIAEVALL,
ABBATI RELIGIOSISSIMO

MECAENATI, PRAECEPTORI, HOSPITI
AC EVERGETAE SVO


FILIALI CVLTV AETERNVM PROSEQVENDO,
TRIVMVROS HOSCE HALBERSTADENSES
GRATISSIMI PRO TOT IMMENSIS VARIISQUE NON
SOLVM IN INCLYTA IVLIA PER TRIENNIVM
FERME, SED AB IPSA PVERITIA IN MO-
NASTERIO MARIAEVALLENSI PRAE-
STITIS BENEFICIIS

ANIMI TESTES, QVA DECET SVBMISSIONE SISTERE
EIVSQUE FAVORI AC PATROCINIO VLTERRIORI
SE SVAQVE STUDIA COMMENDARE
VOLVIT

EIVS
SVMME-VENERABILIS NOMINIS

DEVOTISSIMVS CVLTOR

C. F. ERHARD.



15

Q. D. B. V.

DVm de triumviris Halberstadenſibus commentari de- que illorum vita rebusque geſtis conſcribere diſſertationem hiſtorico-theologicam meditor, nullus dubito fore permultos, vario me qui ſint excepturi iudicio; nonnullos etenim hunc laborem noſtrum inutilem levemque & non ſatis dignum cathedra theologia aeftimatuſos crediderim, cum primis illos, qui non niſi in foro hoc ſacro, quam quae ad fidei dogmata addiſcenda, ſcripturae ſacrae loca explicanda ac homilias conſcribendas faciant, tractanda cenſent. Verum quemadmodum theologiae cultor omnino oculos mentemque huc tenetur intendere, divina ſibi eloquia ut quam familiariffima reddat: ita iure neminem reprehendi poſſe autumo, qui praeter aſſiduum ſcripturae ſacrae ſcrutinium, accuratam locorum theologicorum conſiderationem ac vindicationem aliaque meletemata ſacra, res in eccleſia geſtas penitus paulo contempletur; ritus eius & antiquitates rimentur; dogmata & quae circa illa olim exorta certamina ſolicite examinet, eorumque qui egregia quondam eccleſiae praefiterunt officia & ſervitia, vitas ac fata deſcribere illorumque inſignia merita e vetuſtioribus monumentis eruere & in ipſius eccleſiae uſum convertere allaboret. Atque hoc ipſum ſtudium tantum abeſt, ut ab elegantioris eruditionis ac ſolidioris theologiae cognitionis viris improbetur aut vituperetur, ut potius illud cum ipſo ſtudio theologico artiſſime coniungendum nec ullo modo negligendum graviter commoneant, illumque theologiae cultoris nomine indignum iudicent, hoc eruditionis ſacratioris genus, qui poſthabeat plane, aut ſaltem oſcitanter tractet. Et ne forte quis haec, quae de antiquitatum ſacrarum genere laudavimus ad hiſtoriam triumviro-

rum nostrorum applicari non posse asserat, cum parum ex horum notitia utilitatis in theologiam nostram redundet, illi regerendum censeo: utilitatis sat & iucunditatis ex hoc simili- que labore in areas theologicas, si quis rite usus fuerit, posse derivari; nec deesse praeterea, quorum vestigiis pie insisto, magnos deque ecclesia Christi insigniter meritos viros, qui dudum ante me eiusmodi themata historico-theologica exponere quin & in solenni theologorum panegyri pro impe- trandis etiam privilegiis doctoralibus publice ventilanda exhibere non dubitarunt. Quorum quidem autoritate mu- nitus, susurros sinistre iudicantium floccifacio, meosque Halberstadenses triumviros in medium produco, de ipsorum vitae cursu, meritis in ecclesia ac honoribus, quantum quidem fieri poterit, disquisiturus. Ut autem, quos ego triumviros indigitem, aperte constet, nolo, vocabulum illud hic ex- primat certum in coetu publico numerum, quales decemviri illi otiosi in conventibus sacris a Iudaeis adhibentur; aut cer- tum magistratus ordinem & dignitatem in rebus publicis usu receptam, sicuti XIII & XV viri Argentorati & XVII Brunsvigae olim floruerunt, sed saltem ternarium simpliciter denotet numerum, quo isti de quibus acturi sumus, viri determinan- tur. Halberstadenses autem illos appello, quia in episcopatu illo patriam sortiti eiusque indigenae habitus, vel ibidem in- claruerunt. Inter hosce triumviros primum facile locum obti- net CLEMENS II, romanae olim ecclesiae caput & maximus pontifex; hunc excepturus est IOANNES SEMECA, magnus ille decretalium doctor & praepositus, cui adiungemus CON- RADVM, ordinis Dominici olim fratrem religiosissimum. Huic labori nostro ut Deus teroptimus ex alto benedicat, est quod humillime precamur.

CLE-

CLEMENS II.

ANtequam ad sedem pontificiam eveheretur alio fuisse nomine appellatum deprehenditur. Quemadmodum enim apud Romanos dudum usu erat receptum, ut qui papale fastigium conscendebat, statim cum impetrata ista novella maiestate aliud, veteri ac consueto deposito, nomen assumeret, ita illud ipsum in hoc nostro Clemente observatum legimus. Non una autem fixaque nomen eius expressum aut pronunciatum voce. HERMANNVS *contractus* (a) SVIDEGERI nomen ipsi ante exaltationem papalem assignat, cum quo faciunt conscriptor annalium Hildeneshemensium (b) & cum primis IOANNES TRITHEMIVS (c) alii; verba Tritheimii sunt: *Clementis nomen fuit ante papatum sicut scripsimus Suidegerus per u & non Syndigerus per y ut imperite a plerisque scriptum legitur.* SIGEBERTVS *Gemblacensis* (d) *Swidigerum*, pro quo apud illustrem LEIBNITZIVM (e) AMALRICVS AVGEIRVS DE BYTERRIS *in catalogo paparum Suidegorium*, THEODORICVS ENGELHVSIVS (f) autem, nescio quo autore *Swedegherum* ponunt. Contrahunt paululum nomen illud PLATINA, (g) ONVPHRIVS PANVINIVS, (h) ALBERTVS *Stadensis* (i) & autor *chronici Stederburgensis* ad annum 1047. in *Suidgerum*, velut apud laudatum LEIBNITZIVM videre est (k) in *Suitgerum*, nec desunt qui, *Suikerum* (l) *Suickerum* (m) *Suiggerum* (n) Svige-

A 3

- (a) *chronic. de sex mundi aetatibus* p. 328. (b) *Leibnitz* tom. I. scriptor. Brunsvic. p. 731. (c) *in annalibus Hirsaugiensibus* ad annum CIO XLVIII. (d) p. 152. (e) tom. I. script. Brunsvic. p. 578. (f) apud Maderum lib. cit. p. 46. (g) *histor. de vitis pontificum romanorum* p. 159. (h) *chronic. pontific. roman.* p. 33. (i) *chronic.* p. 231. (k) tom. I. script. Brunsvic. except. de familia & actis Clementis II. ex annalibus sec. XII. in Saxonia scriptis. p. 577. (l) *Geruoldus* in *chron. Richersperg.* ad annum CIO XLIII. (m) Mader. lib. cit. p. 6. (n) *Lupoldus de Babenberg* de zelo veterum principum germ. cap. IV, *Crusius* part. II. *annal. Sycvic.* p. 204.

Svigerum (a) *Swigerum* (b) & etiam *Sviderum* (c) *Schwyderus* (d) & *Schweichhart* scripserunt. Dantur etiam nonnulli, quibus placuit ipsum denominare *Sindgerum* (e) *Synderum*. (f) Aliis aliae placuerunt transformationes huius nominis, quas omnes recensere supervacaneum iudicamus.

Hunc Suidgerum autem seu Swickerum natione fuisse Saxonem ac in dioecesi Halberstadenſi inclytis parentibus summoque loco natum asserere nulli dubitamus. HERMANNVS sane ex illustri comitum Veringensium in alpibus Sveviae supra Reutlingam ad Danubium olim habitantium familia ortus, a membrorum autem vitio *contractus* denominatus, Clementem hunc nostrum aperte satis Saxonem appellat, (g) cuius viri auctoritati tantum abest ut fidem denegemus, ut potius ipsum hac in re ceu testem omni exceptione maiorem veneremur. Quis enim viro & eruditione & probitate conspicuo nostri Clementis *αρχιεπίσκοπος* coenobiique regalis Augiae maioris, Reichenaviam quod vulgo appellant, ad annum usque emortualem CIO LIV. monacho non credat? aut quis eius candori historico refragetur? Vixit illustris hic scriptor eo, quo Clementis hic noster & in cathedra Bambergensi & in sede papali floruit tempore & quidem inter muros monasticos studiis historicis totus immersus; quis dubitaverit igitur ipsum quam optime cognitam habuisse patriam Clementis & quidem eiusmodi pontificis, cuius fata toti christiano orbi non potuerunt esse occulta & abscondita? Atque ab hoc illustris viri testimonio non abludunt alii fide digni & sagaces scriptores AVENTINVS nimirum, (h) BERNARDVS A MALLINCROT, (i)

FERDI-

(a) *Spangenberg* in *spec. nobilitat.* p. 2. Lib. II. cap. 7. p. 183. (b) *Gobelin. person. cosmodrom.* act. VI. cap. LIV. p. 215. (c) *Mader.* autor anon. in *oratiunc. de cathedral. Goslar. eccles.* p. 146. it. *epitaph. Bamberg.*
 (d) *M. Pomarius chron. der Sachsen und Niedersachsen.* (e) *Albertus Kranzium* in sua metropoli p. 100. (f) *Lac. Wynphelingius.*
 (g) p. 328. (h) lib. V. *annal. Boi.* cap. 7. §. 38. p. 506. (i) in tractat. de S. R. I. archicancellariis & cancellariis.

FERDINANDVS VGHELLVS (a) IO. CONRADVS DIETERICVS (b) & qui his merito praeponi debebat celeberrimus dominus LEIBNITZ (c) aliique. Quid autem HENRICVM PANTALEONEM (d) sec. XVI. scriptorem permoverit, ut Clementis nostri Bambergam civitatem patriam fuisse asseveraverit, hariolari nequeo. Episcopatum illic loci quidem, non vero patriam ipsi obtigisse, est in aperto.

Vt ut vero praeter citatum Pantaleonem omnes in eo consentiant, Saxonicae gentis fuisse Clementem nostrum pontificem, disquiri tamen coeptum, nec inter doctos indoctum litigium exortum, an ut IOANNES MOLLERVS scholae Flensburgensis rector percelebris voluit, Holsatia antiquissima Saxonum & praecipua olim sedes; an vero iuxta Saxonici historici TENZELII sententiam Halberstadenis districtus, insignis illa inferioris Saxoniae pars hunc pontificem produxerit? Praeclari hi duumviri, TENZELIVS scilicet & MOLLERVS, qui ut ex eorum scriptis (e) constat, ferram contentionis de hoc momento reciprocarunt, & haud levibus aut vanis argumentis quilibet suam opinionem stabilitum iverunt. Cum primis vero ansam huic disputationi dedisse videtur partim traditio, quae Clementem Saxonem e Meiendorffis dynastis prognatum docuit, partim epitaphium Clementi Bambergae exstructum, in quo expressis verbis Sviderus a Meiendorff Saxo appellatur. Cum vero Holsatia antiquissimis temporibus inter dynastas suos, illustres etiam habuerit Meinstorffios, (f) inferior vero Saxonia nostra inque illa dioecesis Halberstadenis itidem & genere & opibus insignes Meindorffios; hinc factum crediderim, ut B. Tenzelius Clementem Halberstadenibus Mein-

(a) Italia sacra. (b) breviarium pontific. romanorum. (c) tom. I. & II. script. rerum Brunsvic. (d) de illustribus germaniae viris. (e) Tenzelii *Monatliche Unterredungen* ad annum 1694. p. 209. & sqq. item *Monatliche Unterredungen* ad annum 1692. p. 58. eiusdem *curiense bibliothec* ab anno 1689. usque 1698. p. 906. sqq. Molleri *Uagoge* ad historiam ducatum Slesyicensis & Holsatici. (f) *Angeli Holsteinsche chronik.* p. 71.

Meindorffis, suis vero Holtatis Meinstorffis doctissimus Mollerus adscripserit. Tenzelii si ponderamus rationes, quae Halberstadensibus tribuunt Clementem, eas non esse de nihilo deprehendimus. Nolo hic omnes in medium proferre, militare vero pro ipsis videtur anonymus, qui sub finem sec. XIII. atque ita ducentos annos post obitum Suidegeri vixit & cuius chronicon a Madero antiquitatibus Brunsvicensibus insertum, in quo (a) hunc Clementem eiusmodi delineat coloribus, ut non possis ipsi in Halberstadensi districtu patriam non assignare. Scriptum autem illud: *Suidgerum* seu ut appellat *Swickerum*, illum non solum canonicum Halberstadensem fuisse & dein in episcopum Bambergensem electum, tandem pontificem factum refert, sed & praeterea adiungit, ipsum de nobilibus quibusdam in Saxonia profectum, qui dynastae & domini in Morsleve & Hornburch fuerint. Verba anonymi ut apud MADERVM (b) leguntur, sunt haec: *Iste Swickerus erat de quibusdam nobilibus in Saxonia, quorum fuit proprietas Morsleven & Hornburch, quam Thiedericus nobilis de eodem genere filium non habens Halberstadensi ecclesiae dedit, indignatione motus contra sororem suam dominam Clementiam, cui eadem proprietas debuerat successisse.* Haecenus anonymus. Cui adiungendum censeo locum illum apud illustrem Leibnizium (c) qui modo allegati anonymi dicta pulchre illustrat & simul illum, Hornburgum qui ecclesiae Halberstadensi dederit, Adelbertum nominat; & in antiqq. Halberstad. LEVCKFELDIVM. (d) Iam vero inter omnes constat, Hornburgum oppidum illud in principatu Halberstadensi & quidem quatuor milliaribus a metropoli Halberstadio distans hodiernum superesse; *Morsleve* quoque seu *Marsleve* aut ut in antiquis monumentis appellatur *Merslevo*, *Mersenleba*, *Marsleuben*, licet destructum, memoriam tamen sui ad nos quoque transmisisse; siquidem Halberstadium inter & Quedlingenburgum Marslebiensis campus *Marsleber Feld* adhuc apparet, a quo loco & praedio

(a) p. 6. (b) lib. cit. p. 6. (c) tom. I. script. rerum Brunsvic. pag. 577.

(d) ad annum CIO XLVI, p. 420. & sqq.

praedio quondam denominati multi de Marsleben inveniuntur, quemadmodum ex Domini Leuckfeldii antiquitatibus Halberstadenfibus (a) Michelfteinensibus (b) & S.R.Ketneri diplomatibus (c) passim ostendi poterit ac demonstrari. Et nescio an non probabili conjectura affirmari possit, quod Morsleben illud, ut anonymus expressit, fuerit pagus, qui eius nominis Dynastis de Veltheim in Bartensleben, quorum maioribus foeminas ex Clementis familia olim matrimonio conjunctas docet LEUCKFELDIUS, (d) hodie paret, nec a vetusta olim sede *Ummendorff* longe, a nostra Julia autem haud multum ultra milliare abest. Cum igitur nullibi terrarum nisi in vicinia Halberstadii Morsleve & Hornborch sita deprehendantur, coecus sit qui non videat Halberstadensem dioecesin patriam Clementi dedisse, ipsumque Halberstadensem Saxonem jure meritoque salutari. Quamvis autem optime noverim clarissimum MOLLERVM (e) anonymi modo laudati scriptum eiusque auctoritatem explosisse nimis tantique non fecisse, qua origo Halberstadenfis Clementis nostri probari possit ac demonstrari, multa item convassasse argumenta, quibus omne probandi robur posse destrui videatur; tamen B. Tenzelius objectiones illas (f) repressit & argumenta opposita ea felicitate discussit, ut an ad ea quid excipi queat, plane desperem. Inter alias quibus clarissimus Mollerus Meindorffis Halberstadenfibus Clementem II. abiudicare & anonymi veritatem ac auctoritatem enervare conatur, has affert rationes: quod licet Meinstorffis Holsatis bona illa ac praedia Hornborch & Morsleben vindicare non possit, nondum tamen evictum esse contendat, an ista omnia ita sese habeant, prout anonymus enarraverit. Suspectam autem, nec id iniuria sibi videri illius pe-

B

r o-

(a) p. 421. (b) in addendis n. 2. pag. 85. (c) Quedlingenburgens. a pag. 253. usque ad pag. 257. (d) antiqq. Halberstad. p. 424. (e) in prolegom. part. IV. isagoge ad histor. ducatum Slesvic. & Holsat. (f) *Monatliche Unterredungen* ad annum 1694. p. 209. seqq. Curicuse bibliothec. p. 906. sqq.

riocham de Clemente II, quod non solum in illa de hoc talia tradantur, quorum apud alios antiquos pariter & recentiores ne levissimum quidem occurrat vestigium, sed etiam manifestus error historico-chronologicus observetur; praeterea monet clarissimus MOLLERVS (a) anonymum paucissima horum attigisse, quae alii scriptores recensuerint; fide igitur indigna censet, quae de Clementis e familia toparcharum de Morsleben & Hornborch ortu sunt relata, quippe ceteris historicis omnia ignota, nisi ex aliis vetustioribus ac gravioribus monumentis veritas illorum confirmetur; deinde anonymo idcirco fides haberi non posse autumat Mollerus, quod manifesto errore & parachronismo laboret: dum Henrico II. imperatori tribuit, quod Clementem hunc nostrum ad episcopatum evererit Bambergensem; veritati autem hoc aperte reluctari contendit, cum Henricum II. iam vita defunctum (quod factum CIOXXIV. volunt) Suidgerum autem ab anno CIOXXIX. diaconum Hermanni archiepiscopi Hamburgensis circa annum CIOXXXII. etiamnum fuisse, Adam Bremensis, Albertus Stadenfis ac Cranzius testentur & anno demum CIOXLI vel CIOXLII. ad Bambergensem cathedram esse exaltatum historici accuratiores perhibeant. Atque hinc colligit esse *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*, ut Suidgerus huic imperatori dignitatem episcopalem acceptam possit referre. Verum nodi isti utut insolubiles visi, a B. TENZELIO (b) non violenter dissecti sed feliciter resoluti & enodati. Ad postulatam etenim clarissimi Molleri ex illustris Leibnitzii indagatoris rerum germanicarum felicissimi introductione in scriptor. rerum Brunsvic. (c) veritatem chronici Madariani strenue vindicavit & ex antiquis annalibus, cuius autor in his terris Saxonis haud diu post Clementis obitum vixisse merito censetur, produxit egregium documentum, ex quo luculenta Clementis nostri genealogia ad oculos patet & simul omnes scrupuli eximuntur, qui patriam Clementis, dioecesin

nimi-

(a) loc. cit. (b) curieuse bibliothec, prim. repositor. pag. 905. sqq.
 (c) Tom. 1. pag. 577.

nimirum Halberstadenſem ſuſpectam poſſe reddere credebantur. Ut autem veritas eo magis contradicentium oculos perſtringat, non pigramur ex incomparabili Leibnitzio hanc ipſam Clementinae familiae deſcriptionem hic apponere: *huius mater (ſcil. Suidgeri) fuit Amulrada ſoror Waltardi Magdeburgenſis archiepiſcopi, quae nupſit Conrado de Moresleve & Horneborch, genuitque ei hunc Suidgerum, qui erat canonicus S. Stephani in Halberſtadt, poſtea epiſcopus in Babenberch, tandem Romae papa & Conradum, qui ut dicitur fuit canonicus S. Mauriti in Magedaburch poſtea Aquileiae patriarcha & Adelbertum. Hic quandam foeminam quae ſua propria extitit, ſibi in matrimonium coniunxit, quae ſorori ſuae quae Dignamenta l. Margaretha dicebatur, nimiam intulit iniuriam, unde eius conſilio & iuſſione in eadem urbe, Horneborch dicta, occiſa eſt. Propterea ipſe Adelbertus eandem urbem cum praediis illuc pertinentibus tradidit Halberſtadenſi eccleſiae precaria viſſitudine, ne videlicet ipſa aut filii eius eandem haereditatem ſortirentur.* Atqui ex hoc teſtimonio, quod nunquam ſatis laudatus Leibnitzius ex eiſmodi annalibus, qui a Pipino rege incipiunt & paulo poſt obitum imperatoris Lotharii Saxoniſ definiunt, ſatis demonſtratum cenſeo, anonymum a Madero editum chronologia ſua neminem fallere voluiſſe, ſed ex ſimili aliquo antiquo ſcripto, quale Leibnitzius attulit, deſcripſiſſe. Nec ob id erroris & falſitatis eſt arguendus, quod alii ſcriptores, haec quae anonymus de Clemente prodidit non attigerint; cum procul dubio meliorem ille de ortu Clementino Halberſtadenſi cognitionem habuerit quam ceteri autores, longius qui ab hiſce terris vixerunt remoti; nec eam ob cauſam falſitatis inſimulandum cenſeo, quod non omnia, quae alii de Clemente noſtro annotarunt, conſcripſerit; cuiſlibet etenim ſcriptori hac in re libertatem relinqui ſcribendi omittendive prout ipſi commodum videtur, novimus. Nec errorem iſtum chronologico-hiſtoricum qui anonymo imputatur, tanti iudicamus, ut omnem fidem ob illum decoxiſſe ſit dicendus; cum hiſtoriarum cultoribus occultum eſſe nequeat, quod pontifi-

ciorum multi praesertim italici scriptores Henricum aucupem, quia a papa romano inungi noluit, inter imperatores non referant, atque hinc, Henricum qui & sanctus & a vitio pedum claudus cognominatur, nomine quidem secundum, sed primum quoad imperatoriam dignitatem, Henricum tertium vero sive nigrum, tertium nomine sed ratione officii imperatorii secundum & sic porro sequentes ex Caesaribus alios Henricos appellitent, quemadmodum inter alios hoc HORAT. TURSELLIVS (a) ROLFINKIVS (b) & cum primis B. TENZELIVS (c) aperitis verbis indicant. Anonymus igitur forte in eiusmodi scriptores ex quibus sua desumpsit, incidit, qui rationes pontificiorum secuti Henricum aucupem e censu imperatorum excluderunt, Henricum sanctum autem nomine quidem secundum, sed dignitate Augustum primum salutarunt; qui vero praeterea naevi in hoc anonymi chronico latent, veritati de ortu Clementis Halberstadenſi plane refragari non existimamus.

Sed plus aequo vindiciis patriae Clementinae Halberstadenſis immorati sumus, satisque genus illius non apud Holsatos sed Halberstadenſes esse investigandum demonstravimus. Progredimur itaque ad ipsum, ex qua descendit Clemens noster pontifex, familiae nomen genuinum, & ex antiquitate eruere nitimur, an pater illius Conradus a parentibus de Meindorff cognominatis sit prognatus, licetque fratri suo seniori denominatione originali gentilitia *de Meindorff*, nomen sibi suisque a praedio Morsleben ex haereditate paterna Meindorffiana ad se devoluto, pro more istius temporis, contraxerit. Si dicendum quod res est, ex vetustis monumentis historicis haecenus nondum illud ostensum est nec evictum, quicquid etiam Tenzelium inter & Mollerum de Meindorffis Halberstadenſibus & Meinstorffis Holsatis disputatum. Hoc ipsum
opti-

(a) epitom. histor. pag. 326. Lib. 11x. (b) fascicul. temporum. (c) *Monatliche Unterredungen* ad annum 1694. p. 234. autor annalium Hildeſheimens. apud Leibnitz. Tom. 1. p. 578. de script. rerum Brunſvic.

optime pro suo, quo pollet mentis acumine summe venerandus Dominus HEINECCIUS observavit, idque propter in suis antiquitatibus Goslariensibus (a) Clementem hunc pontificem ad dynastas olim Saxones Meindorffios referre non sustinuit. Nobilissimum quidem olim & inclytum fuit vetustissimis temporibus Meindorffiorum in his Saxoniae terris nomen, quibus opimas possessiones, opes ac praedia benignum numen, passim in Marchia, archiepiscopatu Magdeburgico, episcopatu Halberstadenſi (b) & forte alibi concesserat; in his etiamnum coenobium illud Meindorff, quod tribus miliaribus ab Helmſtadio diſſitum prope Seehuſam Magdeburgicam Cisterciensis ordinis virginibus ab anno CIOCCCLXVII. quo fundatum cenſetur, (c) domicilium dedit, adhuc floret; quod iuxta maxime reverendi LEVCKFELDII (d) ſententiam ex Meindorffiorum ſede primaria ac originaria pro temporum iſtorum devotione, exſtructum Deo ſanctisque conſecratum exiſtimamus. Utut autem haec ita ſeſe habeant, quis Clementem noſtrum II. eiſdem ortus ac generis fuiſſe ſine omnis oppoſiti formidine tuto aſſerat? Si monumentum Bambergae Clementis noſtri aeternae memoriae conſecratum & quo exornatum, epitaphium conſulimus, omni carere dubio, Meindorffis ipſum aſſerendum noſtris Saxonis, docemur. Sed accedamus ad maſoleum praefulis, excutiamus eiſ cippum & quidnam ſibi inſcriptio ſepulchralis velit, percipiamus. Verba marmoris incifa, prout hodie ſuperant & a Daniele Papebrochio (e) examinata, ſunt haec:

R̄MS IN CH̄RO PATER ET D̄NS D SVIDERVS. A
MAYENDORFF SAXO. 2. EPISCOPVS BAMB. PO.
STEA SVMMVS PONT. CLEM. 2. DICTVS. OBIT
ROMÆ 10. OCTOB. AŌ. 1047. Quid amplius, inquis,
de ortu pontificio Clementis dubitas? aut quis te diutius re-
B 3 mora.

(a) Lib. 1. pag. 40. (b) Tenzelii *Monatliche Uuterreanngen* de Januar. anni 1692. p. 58. (c) Sattorii cistert. biſpert. tit. 26. p. 809. (d) *antiqq. & annal.* Halberſtad. p. 418. (e) in *catalog. ſanctorum* pag. 186. 187.

moratur scrupulus, quo minus inter Meiendorffios tuos istum referas? Nonne satis genus praesulis egregium, non patria expressa satis? conveniunt ad quas euectus dignitates, tam episcopalis Bambergensis quam splendor fulgorque pontificalis, locus ubi defunctus, dies, annus & quid non exsculptum accurate satis ad oculum: Quodnam igitur desiderari poterit documentum aliud Meiendorffinam originem demonstrandi? Speciose fateor, & quamvis breviter, aperte tamen satis & sufficienter instruit epitaphium lectores suos de ortu Clementis. Nec defuere iam dudum commatis haud infimi scriptores, suam inscriptioni isti qui calculum adhibuerunt. Verum tantum abest ut sagaciores antiquitatum ruspatores inscriptionem illam sepulchralem per omnia comprobarint ac genuinam omnino pronunciarint, ut in illa potius multa cum in ipsis literarum zyfrarumque expressionibus, tum in ipsa cognominis natalitii, tempore obitus Clementini insolita mentione observaverint, quae antiquitatem epitaphii dubiam faciant & incertam. Solertissimus sane magnique apud doctos nominis iesuita DANIEL PAPEBROCHIVS in examine huius monumenti & epitaphii Bambergensis inter alia recenset: monumentum quod concernit, sic satis antiquum illud deprehendi idque ex scripturae ruditate constare: cippum autem seu lapidem sepulchralem novum; prout ex literarum romanarum forma eo aevo non apud germanos solum sed apud romanos etiam exoleta, nec multo plus quam ab annis centum restitui paulatim coepta cognosci possit. Recentiora deinde, inquit, sunt Suiderus pro Suidegerus, Bambergensis pro Babergensis, zyfrae in numeris aliaque similia. Quod etiam familiae nomen additum, haeret Papebrochius & unde sumtum se nescire fatetur: quandoquidem cognominum usus tunc, scilicet Clementis II. tempore, vix dum ullus Germanis in publicis fuerit scripturis. Ex his igitur circumstantiis iudicat vir harum rerum callentissimus per solam traditionem per tot secula Meiendorffiorum familiam ad Suidegeri episcopi & pontificis majores genus suum referre posse. Addit praeterea Papebrochius ex narratione

se.

seniorum haberi, haereticos hostes (per quos autem Svecos intelligit) cum superiori seculo MDCCCXXXII. Bambergae rerum potirentur, spe inveniendi thesauri tumbam reserasse, ossa dissipasse, lapidem quo claudebatur fregisse atque pace demum restituta, novum repositum lapidem ex simili marmore, sed cuius integritas atque color diversus diversam satis indicent aetatem. Plura ad Clementem nostrum facientia ex Papebrochio excerpta apud B. TENZELIVM (a) invenire licet, ubi etiam haut inepte Svecos a dissipatione ossium Clementis ac profanatione sacrorum defendit & immunes vindicat. Traditioni itaque quicquid de Clemente Saxone Meindorffio asseritur, tribuendum historicae arbitramur, cui nisi manifesti erroris & absurditatis convincatur, non est ut assensum detractemus aut fidem denegemus. Traditioni vero illi veritatem non invalidam videtur conciliare Italorum inque his praecipue IOH. BAPTIST. DE CAVALLERII singularis delineandi pontifices cura chalcographica; hi etenim & ut diximus Joh. Bapt. de Cavalleriis praesertim, inter alios aere incisos pontifices etiam Clementis nostri imaginem dum expresserunt, praeter triplicem coronam papalem ipsi Meindorffiorum insignia, in quatuor areolas discolores distincta plumisque septem galeae superimpositis exornata apponunt. Non sine fundamento autem haec insignia Meindorffina appello, illis enim quotquot per literas aliaque documenta nobis innotuere Meindorffii semper usi sunt, id quod ex literis sigilloque a doctissimo iuxta ac generosissimo ANDREA MEINDORFFIO Ummendorffino tum temporis toparcha annis 1562. 63. 66. 77. ad abbates Mariaevallenses IOHANNEM scil. coloniensem & qui primus ex his abbatibus Mariaevallensibus puriori religioni Lutheranae nomen dedit, GASPARIUM SCHOSGIVM datis, mihi que a Priore istius monasterii & adiacentium parochiarum Superintendente Sylvestro Erhard parente meo pie colendo, ex archivo monastico ostensis non solum, sed etiam ex pictis sculptisque Meindorffiorum,

qui

(a) *Monatliche Unterredungen* ad annum 1694. p. 209. 199.

qui Ummendorffii, iam post ultimum huius illustris familiae ANDREAM anno 1667. (ni fallor) defunctum in praefecturam Magdeburgicam mutati, sepulchrum suum obtinuerunt, παρασήμασι & insignibus, affatim satis doceri potest ac demonstrari. Atque haec sunt, quae pro vindicanda Suidgeri Meindorffii Saxonis Clementis II. pontificis romani patria Halberstadensi ex scriptoribus variis colligere & comunicare volui, potuissem ex supra laudatorum egregiorum virorum Tenzelii videlicet, Molleri, Leuckfeldii aliorumque laboribus historicis multo plura in chartas conicere, & Clementis cognationes atque affinitates quae ipsi cum summis illustrissimisque familiis tam clericis quam laicis, ut & cum rege romanorum Hermanno (*den Knoblauchs-König*) Islebii ut plurimum commorato, intercedebant, fusius describere (a) Onuphriique Panvini fabulam quam de stirpe humili egenisque Clementis parentibus confinxerat, recensere, & ex Andrea Angelo (b) explosam, prolixius in medium proferre, si temporis & propositi permitteret ratio. Ad alia igitur progredimur & nonnulla de Clementis vitae actionibus, de officiis & laboribus eius in ecclesia exantlatis, de dignitatibus ipsi collatis, de obitu & post obitum secuto cultu devotiori, qua fieri poterit brevitate, perspicuitate tamen non neglecta, persequimur.

Suidgerus igitur hic noster, ut fortunam in omnibus ferme ad vitam famamque necessariis rebus fautricem habuit, sic etiam naturam egregiis animi dotibus instructissimam natus erat; nec dubitandum censeo, ipsum non solum in phronisterio Halberstadensi, ubi suo tempore sacris se mancipare meditabatur, sed etiam alibi, forte Parthenopoli, quae avunculum eiusdem Waltardum ceu archiepiscopum suum venerabatur quondam, religionis fundamenta edoctum & ad sacra munia olim obeunda instructum fuisse ac praeparatum. Hinc non diu sine officiis vixisse privatum invenimus. Goslariae

(a) Leuckfeld. antiqq. Halb. p. 423. (b) *Holsteinsche chronik*,

riae quidem, in qua Henricus III. imperator cathedralem ecclesiam erexit, imperiique capellam scholamque appellari voluit, praepositum egisse nonum Suidgerum nostrum refert anonymus apud MADERVM (a), cuius tamen assertioni haud immerito fidem derogat summe venerandus D. HEINECIVS (b). Quicquid vero huius sit, in hoc plerosque videmus consentire historicos, SVIDGERVM inter Halberstaden- ses obtinuisse locum canonicos suaque pietate ac devotione adeo excelluisse, ut Hermannus praepositus primo Halberstaden- sis cathedrae, archiepiscopus tandem ecclesiarum Hamburgensis & Bremensis consecratus, suum sibi capellanum elegerit, summamque religionis curam ipsi demandaverit. Magno autem studio, vigilantia ac industria munere hoc commissio perfunctum, Slavisque & Vandalis evangelium Christi annunciasse, & conversionem eorum anxie anhelasse autor est LAMBECIVS (c); aliique referunt hisce Suidgeri actionibus sacris ac singulari vitae sanctimonia permotum imperatorem Germanorum Henricum III, ut ipsum in defuncti Bambergensis episcopi Eberhardi locum anno CIOXLI. suffecerit & cancellarium sibi constituerit. Atque ut de hac in episcopalem & cancellariatus dignitatem SVIDGERI promotione non dubitemus, annales Paderbonenses in medium producere possumus, ex quibus (d) disci poterit, Bardonem archiepiscopum Moguntinum in natali Innocentii die dominica, CIOXLI. Mimigardevorde seu ut nunc appellatur Monasterii ipso imperatore praesente, hunc SVIDGERVM in episcopum inaugurasse solitamque ei ob impertiisse benedictionem (e). Parum igitur cum Domino LEVCKFELDIO (f) fidei tribuendum censemus anonymo isti apud Maderum & Leibnitzium aliisque, qui Suidgerum ab imperatore Henrico II. hasce digni-

C

gni-

(a) antiqq. Brunsvic. p. 146. (b) antiqq. Goslariens. p. 41. (c) Lib. 8. Orig. Hamburg. p. 15. & in chronol. p. 153. (d) Schaten. annal. L. VI. pag. 522. 529. (e) Excerpt. de familia Clement, Tom. I. Leibniz p. 577. (f) antiqq. Halb. p. 425.

gnitates accepisse, prodiderunt memoriae. Sicuti enim Henricus II. imperator anno CI^oXXIV. diem iam obiit supremum, inque illius diplomatibus publicatis non nisi episcoporum Egilberti, Gunthari & Eberhardi, qui ut diximus Suidgeri nostri antecessor fuit, nomina apparent; ita non Henrico II. sed potius Henrico III. imperatori Suidgeri exaltatio illa episcopalis venit adscribenda. Et nescio annon & hic commode supra adductam explicationem, ubi quod Henricus auceps non inter imperatores referatur, sed Henricus Sanctus I, Henricus Niger autem II. imperatores appellentur, ostenditur, afferre possim, hoc enim modo omne cessabit dubium, scrupulusque eximetur.

Vix autem Suidgerus episcopus Bambergensi ecclesiae quinque annos praefuerat, cum ipsa sedes romana eius indigeret opera. Miserrime enim tres antipapae Benedictus videlicet IX, Sylvester III. & Gregorius VI. ecclesiam romanam affixerant, suaque turpi ambitione tantos motus excitaverant in Italia, ut imperator Henricus ab ipsis romanis ad turbas hasce compescendas, & tam exitiosum schisma tollendum evocaretur quin & imploraretur. Imperator igitur hisce precibus & quo se obstrictissimum sciebat, non solum imperium pacate regendi, sed & ecclesiam tutandi, officio regio inductus, in Italiam movebat, & teste KRANZIO (a) exercitum secum, si forte res armis conficienda, ducebat copiosum, simulque episcoporum & praelatorum numerum haud exiguum adsciscebat si disputandum, aut ore vel calamo ecclesiae consulendum. Italiam ingressus Caesar concilium patrum cogeat Sutrii, in quo tres illi de corona triplici papali altercantes proci repudiabantur plane & Adelberto archiepiscopo Hamburgensi dignitas pontificia destinabatur. Cum vero praesul iste hos honores deprecaretur, illius commendatione ac unanimi episcoporum omnium tunc praesentium suffragio Suidgerus cancellarius & Bambergensis episcopus ingra-

tiis

(a) in sua metropoli pag. 100,

tiis suis pontifex designabatur maximus. (a) Incidit haec electio in diem XII. Calend. Januar. anni CIOXLVI. quatrduo vero post electionem hanc ipso servatoris natali Romae assumto nomine Clementis II. solenni ritu inauguratus, Henrico III. & huius coniugi Agneti praevia benedictione papali, diadema imposuit imperiale (b) & si anonymo breviarii Fuldenfis credendum, Rohingum abbatem Fuldensem consecravit. (c) Novimus quidem Lambertum Schaffnaburgensem, Hermannum Mallincrotium aliosque hanc exaltationem Clementis nostri anno CIOXLVII. Iacobum Heerbrandum autem theologum illum Tubingensem anno CIOXL (d) factam asseverare; verum cum hic suffragio & sufficienti veterum testimonio destituatur, Hermanno potius contracto scriptori coaevo, Mariano Scoto, SIGEBERTO GEMBLACENSI (e) ex veteribus; BARONIO (f) Lud. Iacobo a St. Carolo aliisque ex recentioribus assentior & illam tueor sententiam, quae pro anno electionis & inaugurationis Clementis & coronationis Henricianae CIOXLVI. statuit; nec nobis contradicere censemus qui annum CIOXLVII. inaugurationis papalis terminum ponunt ex recentioribus, cum annos non a festo circumcisionis Christi, sed ab ipso natali eius veteres incipiant ac computent; qua quidem ratione utique Clementis CIOXLVII. dici poterit esse coronatus.

Tantum vero aberat, ut novellus hic pontifex ista dignitate stupenda elatioris factus fuerit animi, aut quod alias haud insolens erat, turpiter abusus fuerit, ut omnes potius nervos eo intenderit, ecclesiae sibi commissae graviter haecenus quasatum & corruptum statum ut restitueret, imprimis vero, quae tam in curia quam ecclesia haecenus dominata erat, abominabilem simoniam aboleret penitus & nimium quantum iam infi-

C 2

xam

(a) Kranzius in sua metropoli pag. 100. (b) Annal. Hildenes. apud D. Leibniz Tom. I. pag. 731. autor anon apud Leibniz. p. 577. Tom. I. Hermannus Contractus &c. (c) Paulini syntagma rerum germanicarum pag 431. (d) idem quoque exstat Tom. I. Leibniz lib. cit. in Amalrici Augerii de Byterris catalogo paparum p. 578. (e) p. 152. (f) annal. Tom. XI.

xam eradicaret. (a) Eum in finem anno sequenti CIOXLVII. in romana synodo, omnibus quae ad emendationem facere videbantur sollicitè ponderatis, pestem simoniacam, pro ea qua pollebat autoritate, decretis suis proscripsit. (b) Quae contra hanc belluam, simoniam nimirum detestandam sancivit Clemens, cardinalis & episcopi Ostiensis Petri Damiani epistola, quam ad Henricum Ravennatensem episcopum exaravit, diserte explicat.

Experientia quoque usuque rerum longe edoctus, inde plerasque in ecclesia exortas fuisse & exoriri calamitates, quod imperatoria autoritate semota populus romanus pontificem eligendi potestatem sibi arrogasset haecenus, ius illud postliminio quasi imperatoribus restituit; (c) quod quidem plurimi, curiae qui romanae plus aequo favent aegre ferunt & sinistre satis hoc de pontificis facto iudicant. Beneventum deinde civitas, Henrico rebellis, pontificis sensit severitatem; illam enim ob denegatum regi obsequium anathematis notavit fulmine eosque magistratui esse obediendum hac ratione docuit.

Singularis vero in Hamburgensem ecclesiam gratiae ac benevolentiae documenta exhibuit Clemens noster, quippe qui illius privilegia ad preces Adelberti episcopi confirmavit bannoque pontificali communivit. (d) Johannem Pestanum episcopum iam ad archiepiscopatum Salernitanum evectum peculiari diplomate mense Februarii conscripto hac in dignitate stabilivit istamque translationem ratam habuit. Superest bulla in Baronii annalibus (e) ex quo nisi prolixitatem metuerem & lectoris taedium, facile depromi illa & exscribi potuisset; exstat praeterea in plerisque conciliorum editionibus, ad quas benevolum lectorem remissum volo. Wiboraden quoque
inter

(a) Guilielm. Cave histor. liter. script. eccles. p. 603. opus chronol. Sethi Calvis p. 624. (b) Hartmanni histor. conciliorum pag. 296. Tom. IV. (c) Platinae histor. de vitis pontificum Romanor p. 159. item Molleri Prolegom. part. IV. Irag. ad historiam ducatum Slesvicensis & Holsatici (d) Histor. archiepiscop. Brem. in Lindenbrochii script. Brunsvic. p. 79. sq. Albertus Stadenus 231. (e) Tom. XI. p. 945.

inter sanctos retulisse precibus adductum Norberti abbatis St. Galli Clementem, refert BVRCKARDVS de casibus monasterii St. Galli. (a) Tandem cum Clemens sui seculi optimus & nunquam satis laudatus pontifex pessimi & in quaevis scelera prolapsi cleri, quem in ordinem redigere laborabat, odium contraheret, nec vitam satis ab insidiis tutam cerneret, imperatoris iussu svasuque in Germaniam omne periculum evitaturus cum ipso contendit. (b) Verum neque hac ratione funestos effugit scopulos, non sine suspicione enim veneni ipsi vel per Benedicti IX. familiarem (c) Gerhardum Brazutum vec successoris sui Damasi II. seu ut ante appellabatur Poppo- nis episcopi Brixien- sis artibus propinati extinctum esse (d) plures referant historici. Albertus Krantzius quidem in sua metropoli (e) vel per aëris romani novitatem vel ob insueti cibi coctionem quam italici magistri singulari norunt ingenio temperare, quae verba sunt Alberti, exspirasse Clementem, sine tamen veterum suffragio recenset. Enarrandum igitur nunc existimamus ubinam locorum & temporum in fata concesserit maximus noster quondam pontifex ac sepulturam sortitus sit. Sunt qui Romae obiisse diem supremum tradunt, cui sententiae deprehendimus subscribere Onuphrium Panvini- um (f) idque ipsum credidisse Platinam ex eius historia (g) licet colligi. In Germania alii imperatorem Henricum ex Italia secutum mortem cum vita commutasse Clementem prohibent, quibus etiam nos suffragamur & ipsum non Romae sed in itinere & quod Baronius vult alpibus iam relictis inter comites imperatoris ex veneno ab emissariis hostium suorum sibi praeparato & lente forsitan vires suas exserente obdormivisse atque sic in Germaniae finibus decessisse existimamus.

Tempus in quod Clementis tam praematurus obitus incidit, erat ille ipse, quo in pontificem inaugurabatur annus,

C 3

fi

(a) cap. VI. pag. 67. (b) Platina de vitis pontif. p. 159. Guilielm. Cave histor. liter. p. 603. (c) Benno (d) loc. cit. Platina. (e) pag. 100. (f) chron. pontif. Roman. p. 33. (g) de vitis pontif. Roman. p. 159.

si a nativitatis Christi festo annum auspiceris, vel etiam exiguum quo Romae sedit annumque nondum supplet spatium consideres CXXXVII; (a) dies vero septimus iduum Octobris, quod vult Onuphrius Panvinius (b) & Baronius exprimit, qui nostro nono eiusdem mensis respondet. Quidam circa diem hic haerere videntur, dum decimum Octobris emortualem cum maxime Reverendo Leuckfeldio procul dubio inscriptionem sepulchralem Clementis secuto statuunt, cum Cave (c) autem & Papebrochio an IX. aut X. Octobris sit defunctus, nil certi determinant. Hac tanta viri morte insignem ecclesiae illatam esse cladem nemo non facile perspicit; vix enim ultra novem menses, aliquot, Onuphrius (d) putat quindecim, LEUCKFELDIUS (e) vero ex LEIBNITZIO (f) septem dies ad ecclesiae clavum federat, vix cleri perverſi petulantiam cohibendi, cultus divini corruptionem restaurandi, totam denique Romam ceu Augiae stabulum a sceleribus repurgandi modum mente conceperat & excogitaverat, tum inevitabile fatum rebus humanis ipsum eripuit & funere merſit acerbo.

Sepulchrum nactus est Clemens II. Bambergae, ubi mausoleum eius in cathedrali ecclesia, cuius episcopus antea erat, hodiernum apparet, ut Theodorus Petrejus, qui apud Hamburgenses sepulturam Clementi assignavit, non hic sit audiendus. Epitaphii quod Clementi erectum delineationem Bambergae sibi transferri curavit solertissimus Papebrochius, diversum autem illud invenit ab eo, quod Petrus Cornelius Hazart (g) exhibuit, de qua similique materia & quibus factis ac vicissitudinibus belli tempore sepulchrum illud fuerit obnoxium, quaeque circa illud obtigerint, eruditus B. TENZELII discursus (h) meretur legi, quem evolvi ac perlegi quam hic describi malo. Inscriptionem autem sepulchralem, qua

(a) Excerpt. apud Leibnitz Tom. I. p. 577. Onuphr. Panvin. p. 33. & alii.
 (b) l. c. (c) hist. lit. script. eccles. p. 603. (d) l. c. (e) antiqq. Halb. p. 425. (f) Tom. I. script. Brunsvic. p. 578. (g) in pontificio triumpho. (h) *Monasticha Unterredungen* ad annum 1694. p. 209. sqq.

qua animatus cippus Clementis, supra iam allegavimus, cum ex eo patriam ipsius illustrare nobis incumberet, quae ibi attigimus circa illam, hic non lubet repetere, lectorem autem ad B. Tenzelii egregium discursum remittimus, cui si amplissimi Molleri isagogen addiderit, & dein simul conspicui Leuckfeldii annales Halberstadenses consuluerit, habebit sane & inveniet, quod sitim haec talia sciendi & discendi affatim valeat restringere.

Finem igitur, ne lectoris paulo longius in Clementis vita patientia abutamur, commentationi huic imponimus, tribus si saltem attigerimus, Clementem nostrum a Bambergensibus inter suae dioeceseos patronos tutelares cooptatum & a pontifice Leone sanctorum catalogo solenni ritu adscriptum esse. Memoriam huius sancti sui ix. Octobris die, quem nonnulli emortualem, ut diximus, Clementis putant, ipsique Dionysio sacer est, quotannis celebrant Bambergenses, & quanti ipsum faciunt religiose declarant (a). Bullam canonisationis Clementis nostri, Leonem ix. quae autorem agnoscit, industria Papebrochii exhibet, ex qua licet informari, pontificiis non displicuisse olim illud: sit divus modo non vivus.

Atque sic ut opinor, satis ostendimus, Clementem II. fuisse ortum ex nobilissima Saxonam in dioecesi Halberstadensi familia illorum, qui de Meindorff fuere appellati; patrem habuisse CONRADVM a praediis suis quae possidebat hodieque superant de MORESLEVE & HORNEBORCH cognominatum, matrem vero Amulradam archiepiscopi Magdeburgensis Waltardi sororem; a pueris optime fuisse educatum & servitiis ecclesiae consecratum; hinc inter canonicos Halberstadenses locum invenisse non solum, sed & ab HERMANNO maioris ecclesiae ibidem praeposito post ad Bremensem archiepiscopatum evecto, in diaconum assumtum, Vandalis & Sclavis evangelium annunciaffe; tandem Monasterii
in

(a) Tenzelii *Monatliche Unterredungen* ad annum 1694.

in Westphalia anno CIOXLI. a Bardone archiepiscopo Moguntino in natali Innocentii die dominica iussu Henrici III. imperatoris magna cum pompa illic praesentis, in episcopum Bambergensem inauguratum & cancellarium imperatoris denominatum; denique anno CIOXLVI. ipso Christi natali die depositis Benedicto IX, Sylvestro III, Gregorio VI. monstro illo tricipite Sutrii in concilio pontificem electum & proclamatum, imperatorem cum coniuge coronasse, simoniam per decreta proscripsisse, Beneventanos anathemate notasse; post menses novem paucosque dies exaltationis suae pontificalis non sine suspitione veneni in itinere, cum suasu Henrici ex Italia in Germaniam remigraret, extinctum; Bambergae sepultum & inter sanctos a pontifice Leone relatum esse, quotannis vero die Dionysii, qui est ix. Octob. eius coli memoriam. Tempus igitur erit, ut ad secundum ex nostris triumviris Ioannem Semecam nos conferamus, & quantum ex genuinis antiquitatum monumentis erui de illo licet breviter enarremus.

IOANNES SEMECA.

VT ex omnibus, qui de illo literarum quid prodiderunt, constat, quia natione Germanus, *Teutonicus* appellatur. Quisnam ipsi locus in Germania patriam dederit, quosnam parentes habuerit, antiquiorum vix aliquem qui manifestaverit, invenimus. Primus, quantum equidem scio inter sui temporis historicos gravissimus HENRICVS MEIBOMIUS immortale Iuliae nostrae decus & gloria penitorem de ipso notitiam erudito orbi communicat. Ex eius autem chronico Mariaevallensi (a) percipimus, Semecam in agro Halberstadeni a parentibus plebeiis opificio sutorio addictis esse prognatum & cum ingenii animique viribus plurimum valeret, inde.

(a) p. 261.

indefessis laboribus singularique industria illas adeo excoluisse, ut splendore acquisitae eruditionis, obscurioris originis nebulam longe propullaverit, & non patriae solum ac clero, sed toti doctorum in mundo coetui, quam maxime se commendaverit & illustriorem reddiderit. Vt ut autem, quorum ex vetustioribus historicis autoritate hoc B. MEIBOMII assertum nitatur, ignoremus; nec enim quantum mihi quidem constat, ullibi in scriptis suis expressit vir magnus, tamen tantum abest, ut assertioni huic omnem fidem denegemus, ut potius simus persuasissimi, nihil unquam a B. viro in re tali fuisse exaratum, quod licet ceteri historici silentio praeterierint, ipse non ex ineditis chartis schedulisque superioribus seculis a fide dignis viris scriptis manu, & notatis excerpserit atque desumerit. Observari illud licet in allegato chronico Mariaevalensi, in quo ea annotavit ac posteritati legenda liquit vir insignis, alibi quae frustra quaeras; illa enim ex observationibus quae ante plures quam ducentos annos monachus quidam monasterii in valle hac, de rebus monasticis ad fasciculum temporum a carthusiensi (a) compilatum, ut finis libri indicat, manu sua adscripserat, in hoc chronicon congeffit & nobis aperuit. Non dubitamus igitur de veritate asserti huius Meibomiani, & forte cum Deo dieque aliquando illam magis magisque industria illorum qui hodie assiduo labore in antiquitatum viscera penetrant, inter quos cum ceteris eminare scimus egregii ingenii historicum LEVCKFELDIVM, confirmatam ut auguror ac liquidius redditam videbimus.

Sicuti autem de Semecae patria eiusque prosapia scriptores parum vel potius plane nihil certi praeter MEIBOMIVM nobis prodiderunt, ita ad unum omnes fatentur, insignem sibi scientiarum omnium tam divinarum quam humanarum thesaurum ipsum comparasse, tantosque (sequor Meibomium) in literis fecisse progressus, ut officium ipsi in ec-

D

cle-

(a) Rolyvinckio.

clesia docendi mature demandaverint. Vbinam autem locorum studiis incubuerit, quibus doctoribus fuerit usus, & an in Italia Azonis Bononiae alibique iura docentis, ut GUIDOPANCIROLLVS (a) tradit, auditor fuerit, forte haecenus nondum satis exploratum. Veluti enim scriptorum nemo Semecae quidem temporibus qui proximi vixerunt, quicquam hac de re attigerunt, ita veri vix videtur simile, hominem tam obscuro loco natum ac proinde sumtibus ad studia & itinera extra Germaniam requisitis parum instructum in Italiam, quam non cuivis contigit adire, proficisci, aliquamdiu illic commorari, & principis inter doctores sui seculi scholas iuridicas frequentare potuisse. Forte inquis, patroni alique ditiores ea, quae ad tam pretiosa desiderantur studia suppeditarunt, & quod ipsi parentum inopia negavit, illorum suggestit liberalitas; verum cum & hoc in ambiguo lateat & sine suffragiis scriptorum coevorum, & qui de Semeca quid commentati sunt, videlicet KRANZII (b), scriptoris apud LEIBNITZIVM (c), CASMIRI VDINI (d), WIMPHELINGII (e), MEIBOMII (f) &c. asseratur, tamdiu donec documenta certiora videmus, existimamus, Azonis quidem, ut PANCIROLLVS & forsitan ex illo CAVE (g) refert Semecam esse & dici posse discipulum, ductum videlicet eius, methodum & commentaria in iure, praesertim decreto Gratiano explicando & dilucidando dum est secutus eiusque vestigiis institit; quemadmodum Melanchtonem praeceptorem Germaniae communem appellamus, plurimosque ipsum habuisse discipulos novimus, licet illius praeceptis & isagoge in studiis suis usi, nunquam tamen ipsum coram audiverint, aut Witebergam adiverint.

Ma-

(a) Lib. III. cap. VI. de claris legum interpretibus item Cave hist. literar. script. eccles. p. 721. (b) in Saxonia Lib. II. cap. 27. (c) Tom. III. scriptor. Brunsvic. p. 683. (d) supplementum de scriptoribus vel scriptis ecclesiasticis a Bellarmino omissis p. 515. (e) epitome rerum German. cap. 41. (f) l. c. chronic. Mariaevall. (g) hist. lit. script. eccles. p. 721.

Mature Semecae munus in ecclesia docendi fuisse demandatum narrat MEIBOMIVS (a), additque ipsum cum praeter cathedrarios labores alia etiam negotia expediverit fideliter, ex canonico factum esse decanum, & cum in hoc quoque munere spem suorum collegarum complevisset, Meinardo maiori praeposito ad dignitatem episcopalem evecto successorem esse datum. Si PANCIOLOLI (b) auctoritati standum, Semecam Azonis discipulum, cum diu iuri utriusque studuisset, eorum, quos praedicatores & a Dominico dominicanos vocant, religionem ingressum, credendum erit. Qua autem in dioecesi, ecclesia aut monasterio Dominicanis sese adiunxerit, itidem nullibi expressum legimus; duas interim invenio denominatas ecclesias, in quibus olim versatus Semeca celebratur. Meibomius Halberstadensis saltem meminit aedis, anonymus autem apud Maderum (c) ipsum quoque in capella regia, cathedra & schola illa imperiali coetui sacro, seu ut fundator appellare voluit, capellanus regis annumerat eumque *Joannem magistrum* vocat. Licet vero anonymus suis, ut supra in recensione Clementina ostensum, non carere naevis videatur, tamen in hac de Semecae in Goslariensi ecclesia servitio assertione prorsus hallucinasse, non crediderim, non enim video, cur hoc in dubium voces. Imperatores scilicet excellentissima illic solebant colligere ingenia & tanquam in seminarium sapientiae eiusmodi viros collocare, quos arduis negotiis & maximis muneribus, si exigebat necessitas, poterant praeficere. Quid impedit igitur, anonymo istud assertenti quo minus credamus? equidem si coniecturae locus, putarem in capella illa regia inter doctos religiososque, quorum ingens illic copia erat, primo versatum, eximiam suam industriam, acre iudicium, ingenii acumen & ad res agendas promptitudinem singularem probasse omnibus, ut non solum illic Goslariae sed etiam apud Halberstadenses, quibus non tam

D 2

ex-

(a) cit. chronic. (b) de claris leg. interpret. cap. 6, Lib. III. (c) antiq. Brunsvic. p. 147.

excello loco nati, quam eruditione & necessaria sapientia instructi viri deerant, servitia eius expeterentur, & sic in collegium cathedralis ad Divi Stephani ecclesiae canonicorum cooptaretur. Laudatissimus & nunquam satis laudatus Meibomius, ut supra allegavimus, primos labores sacros & alia in ecclesia fideliter gessisse negotia, nostrum SEMECAM praedicat (4), idque propter ex canonico decanum esse factum.

Vt de canonicatu Halberstadenſi Semecae nemo forte dubitat, ita ipsum Ludolphus I, episcopus e sanguine comitum Schladensium prognatus Iohannem decanum appellat testemque allegat in diplomate, quod anno cccccxli. monasterio Mariaevallensi super compositione litis, abbatem Conradum inter & Arnoldum praepositum S. Pauli & Archidiaconum in Seelschen exortae dedit, quem, licet pro more clericis tunc temporis recepto cognomen Semecae non additum, hunc nostrum fuisse Iohannem, credimus.

Quod vero praepositi maioris officium attinet, hoc omnino, non quidem, ut non nemo tradit initio seculi XIII, sed circa medium potius eius Meinardo praeposito antecessore ad episcopatum anno cccccxlv. evecto, ornatum quin & oneratum fuisse Semecam, idem docet B. Meibomius neque id sine fundamento. Citius enim praepositurae non poterat praefici Meinardo adhuc in ista statione, quam dudum sub episcopo Friderico Kirchbergio ab anno cccccxx. tenuerat, superstite, nec ante iam memoratum ultra Sec. XII. annum XLV. illam deserente. Meinardum certe Friderico modo citato praesule, praepositum fuisse indicat membrana ex archivo Mariaevallensi ab eius ephoris mihi benevole communicata & cccccxxv. data; in qua confirmatur permutatio, vi cuius Meinardus praepositus maior, ut totidem syllabis & literis cha-

(4) Meibomius chron. Mariaevall. p. 261. etiam refert, hunc nostrum Semecam negotiorum quorundam causa ablegatum esse in vallem Divae Mariae, una cum Burchardo Vicedomino & aliis canonicis.

character eius exprimitur, monasterio in Valle Mariae mansum unum in minore *Siersleve* sex solventem solidos pro manso uno in *Emering* decem solidos haecenus solventi, tradidit. Et forte plura ex eodem chartario monastico, si opus esset, in medium produci possent. Quod autem Meinardus anno demum XLV, ad episcopatum fuerit evectus, ipse docet in luculento diplomate, monasterio Mariaevallensi primo sui pontificatus anno, VII Kl. Junii, qui deinde zyfris seu numeris MCCXLV exponitur, de decima in villa *Brunstorp* dato, in quo nostrum Joannem praepositum in testimonium citat, cognomine *Semecae* itidem omisso. Hanc *Semecae*, quippe hominis contemptae & plebeiae originis ad tam splendidum officium promotionem, multos e cathedralibus dominis, praesertim qui comitum & praepotentum dynastarum sanguine nati erant, limis conspexisse oculis, vel si non moneret historicus, facile posset colligi, cum felicitatis & excelsi ingenii comes, plerumque soleat esse invidia. Hanc provinciam novam admodum brevem licet & anni spacium vix aut non multum excedentem, ut cetera munia egregie ornabat *Semeca*, & quo iustitiae debitus statueretur honos, res episcopatus & cum primis quae ad munus suum praepositurae sacrumque cultum spectabant, sarta tecta conservarentur, omnem movebat lapidem. In honorem iustitiae & stabilimentum decretum *Gratiani* ut *KRANZIVS* (a) refert, herculea audacia primus aggressus est glossare & publici iuris facere, quod ante eum nemo & post eum excellentius nullus facere potuit, quamvis non desint, qui alios ante ipsum, videlicet *Laurentium Cremonensem*, *Vincentium Castalionem*, *Hugonem Vercellensem* notas & explicationes ad decretum scripsisse, quas deinde *Semeca* reformaverit & suas fecerit, contendunt. (b) Sed quicquid huius sit, sive anteriorum doctorum in decretum commentationes notasque emendaverit, sive primus in illud scripserit, *PANCIROLLVS* (c) tamen, quamvis in

D 3

cen.

(a) Saxonia cap. 27. Lib. II. X.

(b) Pancirollus de claris LL. Lib. 3. cap. VI.

(c) l. c.

censendo labore Semecae lynceus deprehendatur, non modicam ipsum *Gratiani* operi lucem afferre, pluraque novi & veteris testamenti loca erudite explicare ingenue fatetur. (a) *Summam* quoque sive *compendium confessionis* Ioannem composuisse idem *Pancirollus* autor est. (b) Vigilem autem pro ecclesia metropolitique Halberstadii curam gessisse praepositum Ioannem, inde probari volunt, quod templum primum vel *Dominicum* quod adhuc visitur magnificentum extruxisse urbemque circum muris cinxisse, asserant. (c) Quae tamen prolixius persequi nolumus, industriae celebris LEVCKFELDII calamo in continuatione annalium Halberstadenensium iam occupato, relinquentes. Memorabile autem illud silentio involvere non possumus, quod remissos & pigros collegas suos graviter coarguerit & in rebus divinis vices suas aliis demandare non licere, asseveraverit, cum in illis iurisperitorum regula, quod quis per alium fecit, per se ipsum fecisse videtur, locum hic non inveniat; subinde admonens, Deum a singulis anteaetae vitae & muneris commissi rationem extorsurum (d).

Memoria quoque dignum & omnino notandum censemus, quod de Ioanne nostro iterum enarrat MEIBOMIVS: nam cum in WATERLEBEN Werningerodani comitatus pagus panis consecratus, quem appellant hostiam per miraculum sanguinem exsudans, idoli instar a sacrificulis adorandus exhiberetur, magnusque illic imperitae & superstitiosae plebis concursus fieret, aegerrime illud tulit, panem illum seu hostiam quam sanguinem stillasse iactabant, sacrificulo cuidam manducandam praebuit, calicem vero, qui emissum sanguinem

(a) vid. Vincentius Placcius cap. III. p. 937 de scriptoribus iuridicis & Georg. Calixt. asserentes Iohannem Teutonicum fuisse secundum in corpus iuris glossas qui conscripserit. (b) l. c. (c) Henr. Meibom. chron. l. l. item Leibniz. Tom. III. script. Brunsvic. p. 683. (d) Meibom l. c. Melch. Adam. vit. Germanorum Iurisconsultorum & Politic. p. 4

nem exceperat, pilae cuidam templi summi includi curavit, afferens: non ut adoretur, sed ut edatur coelestem illum cibum nobis exhiberi. Multo aliter hanc historiam PAVLINVS (a) in *de comitibus templi montanis* & dominus LEVCKFELDIVS in *antiqq. Walckenriedensibus* (b) referunt, & hoc miraculum de cruentatione hostiae Waterlebi quidem factum, episcopum quoque Fridericum Halberstadensem cum toto clero, processione solennissima instituta miraculosam hanc hostiam secum Halberstadium ablaturum; verum dum illam elevat episcopus portatque ad pagum usque HAVSLER, ita PAVLINVS, HEVBER vocat LEVCKFELD, hostiam iterum tam large sudasse sanguinem, ut cum ea longius non potuerit progredi; atque tunc Ioannem Semecam, praepositum maiorem, qui processioni aderat monuisse, ut in isto loco relinqueretur, quo facto tantum undique ad miraculosam hanc hostiam confluxum fuisse, ut Fridericus ex eleemosynis opinione citius largissime collectis, insigne monasterium Waterlebiense ord. cistert. fundaverit & liberaliter dotaverit. Haec ex PAVLINO & ut diximus LEVCKFELDIO. Sed in recensione hac manifestum apparere *παρρησια* historicum ostendo, quod Semeca, qui processioni ad elevationem hostiae illius institutae adfuisse fingitur, tempore *Friderici* nec decanus multo minus praepositus inveniatur; ut enim supra monstravimus, aliquot annos post, *Meinardo* ad episcopatum exaltato, in praepositura maiori successit. Non igitur huic processioni a Friderico institutae tanquam praepositus maior interesse, multo minus suo consilio suasuque idololatricum illum hostiae cultum promovere potuit, proinde Meibomii relationi credimus, & cum ipso in tam densis tenebris Semecam aliquid lucis evangelicae vidisse sumus persuasissimi.

Lites

(a) Syntagma rerum German. pag. 335. sq. (b) cap. XIII. §. XLV. p. 266.
267.

Lites quoque non exiguas nostro praeposito Semecae cum *Clemente IV.* pontifice intercessisse, memorat KRANZIVS. (a) Materiam litis iuxta KRANZIVM praebuisse ipsum pontificem: nam cum a clero in Germania sicut per Gallias omnium proventuum decimas sub praetextu redemptionis terrae sanctae exigeret illiusque libertatem hac ratione infringere conaretur, acerrime ipsi restitisse Semecam, & ut maiore vi hosce conatus iniquos retunderet, ad synodum appellasse generalem; quae res adeo pupugisse papam perhibetur, ut Semecam non excommunicaverit solum, verum etiam praepositura privaverit, flocci id fecisse Semecam, magnorum quippe virorum praesidio munitum. Haec ex KRANZIO FLACIVS (b), MEIBOMIVS (c), PANCIROLLVS (d), CAVE (e), alii. Hic autem accuratissimum Meibomii circa hanc historiam institutum scrutinium optime venit considerandum. Ostendit videlicet & ad oculum quasi monstrat, Kranzio hic non per omnia fidem haberi posse, cum Semeca, cuius obitus in annum CIOCCXLV. incidit, citius rebus humanis fuerit exemptus, quam Clemens IV. romanam sedem, quod quidem anno CIOCCXLV. factum, occupaverit. In anno emortuali Semecae determinando scriptores haud inter se conveniunt CAVE (f) ipsum 1265. extinctum perhibet, PREHERVS (g) anno 1272. Semecam vitam cum morte mutasse refert, KRANZIVS vero (h) & huic pollicem qui premit SCHILTERVS (i) 1269. ex vivis discessisse iudicant & aperte satis pronunciant. Sed non est quod quis dubitet, cum non solum inscriptio sepulchralis illum ipsum aperte satis indicet, sed etiam diplomata supersint a Meinardo anno CIOCCXLVI. publi-

(a) in sua Saxonia cap. 27. Lib. IIX. (b) in catalogo testium veritatis Lib. XVII. & XVI. p. 1647. (c) chronic. mariaevall. l. c. (d) de claris LL. interpret. Lib. 3. c. 6. (e) hist. lit. script. ecclesiast. p. 721. (f) hist. lit. script. eccl. 721. (g) in chronol. quam iuri graeco-romano praemisit (h) Saxon. IIX. c. 37. (i) in observ. ad chron. Allat. & Argeat.

publicata, in quibus non Ioannis sed Hermanni, quem Anhaltino stemmate satum tradit Meibomius, praepositi nomen & testimonium allegatur; manifestissimo argumento, Semecam iam tum ad patres abiisse, aliique nimirum Hermanno praeposituram vacuum reliquisse & apertam. Idque ut sine ulla credam haesitatione, movet me ex saepius laudato archivo Mariaevallensi producta, mihiq; ad perlustrandum data membrana, in qua episcopus Meinardus Mariaevallensibus anno CIOCCXLVI, teste citato Hermanno praeposito, decimam in Siersleve minore comparata confirmat, & ipse Meibomius consimilia vidisse scripta asserit. Memoriae igitur lapsus in *Kranzio* hic agnoscendum & pro Clemente IV. Innocentium IV. qui circa ultima tempora Semecae floruit, ponendum indicat MEIBOMIUS (a); cum quo etiam existimamus Ioannem nostrum, utut ab odio insidiisque papalibus ob *παρρησία* non immunis fuerit, tamen praepositura illum exturbatum & anathemate percussus fuisse, nondum satis probari. Anno enim ipso, quo obiit, in membranis Halberstadensibus adhuc testis, ut ex dictis liquet, allegatur & praepositus, quod vix factum praesumo, si a capite scilicet ecclesiae universalis diris esset devotus & ab ecclesiae tam arduo munere semotus.

Inter quoque nugas & fabulas cum *τῷ πάλῳ* Meibomio refero, quod quia nigromanticus esset rebusque magicis nimium indulgeret, fulmine coelesti ictum miserrime conflasse ipsum effutiunt. Qui enim in historia antiquitatum papalium non plane hospes, facile videt, id omne ab aemulis eius papae assentatoribus, fratribus illis ignorantiae confictum, quibus hic veritatis testis ad lucem veritatis anhelans sese opponerebat. Contrarium potius ex mausoleo post mortem ipsi erecto colligimus: non enim si tam famosa morteque tragica periisset, si tantorum facinorum convinci potuisset, tantus honor, in gloriam sempiternam, ipsi fuisset exhibitus.

E

Se.

(a) *chronic. Mariaevall.* p. 261.

Sepulchrum vero suum Halberstadii ad latus meridionale presbyterii sive chori in templo primario est nactus, cuius cippus imaginem eius habitu canonici insculptam continet. Corruit igitur & exspirat assertum illorum, qui Ioannem hunc nostrum Argentorati apud Dominicanos in choro sepultum illudque epitaphium adeptum tradunt: FRATER. IOHANNES. DEI. GRACIA. EPS. & MAGR. ORDINIS FRATRVM PREDICATORVM. ①. ANNO DOM. M. CC. LII. III. NONAS. NOVEMBRIS. REQUIESCAT. AMEN. Nunquam enim episcopum aut ordini dominicano addictum fuisse sed praepositum Halberstadensem, bene observavit IOH. SCHILTERVS. (a) Halberstadium igitur nostrum Halberstadensis Ioannis cineres possidet, eiusque monumentum Ernestus Magdeburgensis atque Halberstadensis ecclesiarum praesul, Germanorum pontificum primas, hoc monumento deiecto vetustiori, pro tanta viri dignitate nimis humili, gratulante universo clero Halberstadensi post CCXLVI. annos a novo instauravit. (b) Vetus epitaphium quod nullibi non exscriptum dudum, est hoc:

*Est, erit, atque fuit, qui desit esse Iohannes,
Dogma viget, viguit, florebit omnibus annis,
Lux decretorum, Dux Doctorem, via morum
Hic iacet & placet, ut vacet a poenis miserorum.*

Nec ingratum lectori futurum iudico, si ex LEIBNITZIO (c) geminas adhuc alias inscriptiones addidero; sunt autem illae:

*Hospes, teutonici sunt haec monumenta Iohannis
Parva, sed aeterno non reticenda die.
Is vir qui fuerit, populi testantur & ingens
Imperium, & diētis Itala terra suis,
Nam ne sacra patrum tenebris decreta iacerent
In lucem glossis extitit ille suis.*

Alia

*Divos teutonici cineres molemque Iohannis
Sarcophagus clausam, care viator habet.*

Inge-

(a) in observationibus ad chronic. Alsaciae & Argentorat. p. 1120. (b) Leibniz. Tom. III. script. Brunsvic. p. 683. (c) l. c.

*Ingenium cuius clarum, doctamque Minervam
Miratur Latii callida terra soli.*

*Nunquam Doctorum volitare per ora virorum
Desinet: hoc natis dicite porro patres.*

Praeter hasce inscriptiones etiam Melchior Adamus nobis adhuc aliam exhibet non inelegantem, quae ita sese habet:

Risi, ploro, fui, non sum: studui, requiesco:

Lusi, non ludo, cecini, mutesco, nutriti

Corpus, alo vermes: vigilavi, dormio: dixi

Salve, dico vale, rapui, rapior: superavi,

Vincor. Certavi, pace mor: iure ego vixi,

Iure igitur morior: non obsto, obstare nequirem.

Terra fui quondam, rursus cum terra: nihil sum,

Terra ea dura vale, vermes salvete, recumbo.

Atque haec de altero Halberstadenſium triumvirorum Ioanne Semeca Teutonico dicta ſunto. Propero nunc ad tertium, qui eſt.

CONRADVS DE HALBERSTADT.

INſignia huius viri merita, accuratiorem licet requirant & ſuſtinentiorem conſiderationem, non tamen, quia & temporis & aliunde petendorum ſubſidiorum ratio habenda, in illo recensendo operoſi nimis nec verboli eſſe poſſumus, lectori tamen benevolo interim de hoc viro religioſo illa communicaturi, ex quibus affatim ſatis probitas eius ac pietas, doctrina item ac induſtria colligi queant. Fuiſſe hunc Conradum Germanum, & ſi non Halberſtadii natum, illic tamen in dioceſi inter Praedican-tes, quos Dominicanos vocant, devote vixiſſe, nulli dubitamus. Habemus id qui nobiſcum aſſerunt, teſtes ſat graves. Ioannem nimirum TRITHEMIVM, (a) PHILIPPVM LABBEVM Bituricenſem (b) GVILIELMVM CAVE (c) & duperrime ſumme reverendum IO. FRANCISCVM BVDDENV, (d) autoritate SIXTI SENNEſIS (e) TRITHEMII, POSSEVINI, LEANDRI

E 2

AL-

(a) de ſcriptor. eccleſiaſt. p. 142. & p. 300. (b) diſſertat. de ſcriptoribus eccleſiaſt. Tom. I. p. 479. (c) hiſtor. literar. ſcriptor. eccleſiaſt. p. 752. (d) *algemeines Hiſtoriſches Lexicon.* (e) bibliothec. ſanct. Lib. IV.

ALBERTI, (a) VOSSII, (b) PANTALEONIS (c) & forte aliorum nitentem, qui ipsum natione *Tentonicum* (d) *Germanum* (e) *Halberstatensem* (f) *Halberstadium* (g) *Conradum de media civitate* vulgariter *Halberstad* (h) cognominant. Quibus sit natus parentibus *Conradus* noster, neminem qui indicaverit, novimus, quo autem vixerit tempore & potissimum floruerit, non fallaci affecutus coniectura, clarissimus Cave indicat; ille enim, sub finem sec. XIII. Conradum claruisse, autor est, respiciens procul dubio ad PHILIPPVM LABBEVM (i) & LEANDRVM ALBERTVM, (k) quorum ille, circa hoc tempus, annum videlicet CIOCCXC. Dominicanum hunc nostrum opus illud concordantiarum biblicarum, quod Hugo de S. Caro adhibitis solis declinabilibus dictionibus inceperat vocibus additis indeclinabilibus absolvisse perhibuit, hic vero inter illos refert, temporibus Rudolphi Habsburg. Adolph. Nassov. & Alberti Austriaci qui vixerunt atque floruerunt. Laudatus modo Dominus BVDDEVS (l) ipsum tempore Caroli IV. Sec. XIV. vixisse autumat, quod si ita sese habet, grandaeum valde Conradum nostrum factum colligimus; Carolus enim, ut ex Ruperti observationibus (m) docemur, anno quidem CIOCCXLVI. a quibusdam principibus pecunia corruptis creatus sed anno demum CIOCCCLV. die V. apr coronatus & imperator salutatus. Iam si sub finem Sec. XIII. anno scil. XC. in libris scribendis & harmoniis biblicis concinnandis, qui tamen labor per multos requirebat annos & iuxta *Genebrardum* circa medium seculi illius quam maxime urgebatur, occupatus floruit Conradus, tunc nonagenario si non superior, saltem proximus censendus erit.

Seculo valedicentem ordini *Dominicanorum* huiusque sacris sese mancipasse, quos modo allegavimus fatentur scriptores pluri-

(a) de viris illustribus ord. Praedicatorum lib. IV. (b) de historicis latinis I. III. c. XI. (c) Prosop. tom. II. p. 367. (d) Trithem. lib. cit. p. 300. (e) Cave hist. lit. script. eccles. p. 752. Natal. Alex. hist. eccles. sec. XII. XIV. p. 147. (f) Cas. Ordin. in suppl. de scriptor. vel script. a Bellarm. omissis p. 515. (g) Philip. Labbeus de script. eccles. T. I. p. 479. (h) Trithem. de script. eccles. p. 142. Conradus noster quoque vocatur de Halberstadt in ms. quod ipsum autorem agnoscit, de quo infra (i) de script. hist. eccl. T. I. p. 479. (k) de illust. viris Ord. Praedic. lib. IV. (l) *algemeines Historisches Lexicon*. (m) in Besoldi synopsis minorem cap. XII. p. 703.

plurimi, quin & provincialem fuisse inspectorem fide clarissimi CAVEI asserimus (a). Hisce in castris non turpi otio, aut quae nonnunquam in monasteriis haerentibus religiosis imputare solent criminibus, dedisse operam, sed praeter quotidianos in ecclesia peragendos labores sacros, tam in philosophia quam theologia omne tempus consumsisse, multos fideliter docuisse magnamque eruditionis famam sibi comparasse, invenimus. Egregium quod a TRITHEMIO (b) ipsi tribuitur, encomium, quia viri merita haud parum illustrat, hic adscribere, non absurdum iudicamus, ita autem ille: *Conradus de media civitate vulgariter Halberstat, ordinis fratrum praedicatorum, vir tam in divinis scripturis, quam in seculari philosophia non infime doctus, ingenio praeclarus & disputator egregius &c.* Et ne ex oscitantia hoc de Conrado testimonium, excidisse, idem TRITHEMIUS: c) *Conradus, inquit, de Halberstat, natione Teutonicus, ordinis fratrum Praedicatorum, vir in divinis scripturis, quam in secularibus literis nobiliter doctus, philosophus & theologus non futilis, quippe qui in ea facultate publice legens, multos docuerit, & doctrina sua laudem ingentem acquisierit.* Haec Trithemius. Neque vero voce tantum, sed & calamo eruditi promovit orbis commoda. Testantur illud varia ab ipso ad nos transmissa monumenta, quorum multa extant typis exscripta, multa haecenus hic & illic latent in chartis inedita.

Inter labores autem eius, principem tenere locum mihi persuadeo, si, quod ipsi tribuitur Hugoni cardinali in indice biblico, quem concordantias maiores vocant, consignando, auxiliares praebuit manus, de quo allegante D. Io. Adam. OSIANDRO (d) HOTTINGERVS (e): *Hugo Cardinalis primus biblicum indicem, quem vocant concordantias maiores cum Conrado Alberstadio monacho collegit, coniunctis quingentorum monachorum e diversis coenobii operis atque omnia nomina, verba, participia, denique omnes tam indeclinabiles quam declinabiles orationis partes, toto bibliorum contextu comprehensas in alphabetum ordinem digessit, annotatis bibliorum capitibus & capitum lineis.* Si Labbeo quem supra laudavimus fides habenda, Hugo

E 3

cardi-

(a) hist. lit. scrip. eccl. p. 752. (b) script. eccl. 142. (c) lib. cit. p. 300. (d) system. theol. exercitat. 29. §. 30. p. 404. (e) histor. eccles. T. III. p. 347. sq.

cardinalis & Conradus noster, ita biblicum hoc opus inter sese perficiendum dispertiverunt, ut ille solas declinabiles dictiones congereret, Conradus vero additis vocibus indeclinabilibus illud absolverit. Quomocunque autem, circa hunc versati fuerint laborem, hi duumviri, insigne certe emolumentum theologis ac concionatoribus inde contigisse, ac tale quid, occasione arrepta, in hebraeis graecisque bibliis postea tentatum esse, multi forsancum Labbeo iudicabunt. Inter alios, quos Conradus edidit ingenii foetus, & qui sibi innotuerunt, refert Trithemius quaedam in utraque scientia, divina scilicet & seculari non spernenda opuscula & quidem: *Summam studentium; de trivio; lecturam in Iobum; sermones; lecturam in librum Sandi abb.* quibus BVDDÉVS addit tractatum *de regno romanorum*, clarissimus vero CAVB (a) libellum *de rosario beatissimae Mariae* 1602. Coloniae impressum. *Legendam praeterea de vita, obitu & miraculis S. Dominici* ex omnibus qui ante se scripserant compilatam, Conrado nostro tribuit DE ALTA MVRA (b), quae an sit edita celeberrimus Cave (c) & NATALIS ALEXANDER dubitant (d), hic vero iam annum circa 1290. eleganti stylo exaratam in lucem prodiisse affirmat. Nonnulla quoque in chartas coniecisse meletemata, quae inter *ἀνέκδοτα* eius numeranda, innuit Trithemius (e), qui in plures biblicae (utor voce Trithemii) libros, commentarios scripsisse, ad manus vero suas minime venisse, queritur. Geminum quoque in manuscriptis possidet tractatum summe venerabilis, Vallis S. Mariae abbas D. IO. AND. SCHMIDIUS, exercitationis huius praeses gravissimus, patronus meus aetatem devenerandus, quem ecclesiae scholisque quam diutissime servet salvumque praestet coeleste numen omnes boni anxie mecum & solícite vovent, precantur. Horum tractatum alter, id in fronte gerit rubrum: *Consolatorium moestorum compilatum a fratre Conrado de Halberstad, ordinis fratrum Dominicanorum*, alter autem: *de prosperitate malorum, quomodo prosperentur & innocentes premantur & affligantur.* In priori tracta-

(a) l. c. (b) p. 65. (c) H. L. S. E. p. 752. (d) Hist. eccl. sec. XIII, XIV. p. 147. Voss, de histor. lat., LII, c. XXI. (e) l. c. p. 142, 300.

tractatu autor noster primum, statum vitae humanae mutabilem & miseriarum quasi sarcinam ob oculos ponit, & sex ostendit argumentis: 1. quia vita praesens habeat vilitatem inchoationis, 2. brevitatem durationis, 3. multipliciter vexationis, 4. fragilitatem continuationis, 5. celeritatem oblivionis, 6. instabilem mutabilitatem variationis. Singula adducta argumenta probat Conradus atque confirmat: 1. poeticis integumentis, 2. ex sacris pandectis, 3. historicis documentis, & tandem docet quomodo homo constans inter summos infortunii insultus possit fortis perseverare, salvusque & incolumis permanere. In posteriori tractatulo itidem sex argumentis Conradus probat prosperitatem malorum, ac piorum & innocentum infortunium, per 1. argumentum autor demonstrat, quomodo omnes isti impii in hoc mundo prae ceteris prosperentur, 2. quot & quanta tristitia admisceantur, 3. ad quem finem per istam prosperitatem deducantur, 4. quomodo hic in mundo consolentur & in futuro exalitentur & honorentur, 5. quomodo semper in veritate sint felices. Haec iterum illustrantur ex historia civili & sacra. Uterque libellus de Conradi probitate, diligenti scriptorum tam profanorum quam sacrorum lectione & circumsperta contemplatione affatim testatur, & qui publico diutius ne invideatur non indignus. Animus erat hosce recensere tractatus, & quae scitu prae ceteris utilia & memorabilia visa excerpere & cum lectore benevolo communicare; verum cum ob ubertatem rerum in illis contentarum excerpta nimium accretura metuerem, manum movi de tabula, nil dubitans, suo tandem tempore venerabilem dominum praesidem in meditationibus hisce publicandis, desiderio ac utilitati proborum non defuturum. Silentio interim hic praeterire nequeo, Conradum hunc nostrum in posteriori illo adducto tractatu, qui de prosperitate malorum & piorum afflictione agit, historiam de *Cherberti* post exaltationem papalem Sylvestri II. nomen adepti foedere cum diabolo inito, de quo IACOBVS VSSERIVS (a) erudite disputat, intrepide enarrare, & quasi nihil subit falsi, aperte pronunciare, adeo, ut inique cum protestantibus agant pontificii, dum illos, quan-

(a) de christianarum ecclesiarum partibus ab apostolorum temporibus ad nostram aetatem successione & statu cap. 3. §. 13. ad 22. p. 84. sqq.

quando hanc aliasque similes historias de pontificum quorundam malitia & facinoribus nefandis proferunt, declamitant & maiestatis papalis, si Diis placet, reos postulant. Praeter haec adducta scripta doctum adhuc aliquod manuscriptum, in illustri bibliotheca Guelpherbytana asservatur, quod a nostro Conrado elaboratum, & cuius inscriptio ita sese habet: *Responsorium curiosorum sive tractatus mensae philosophiae.* Rationem, quae Conradum hunc tractatum scribendum incitaverit, ipse exprimit, quamobrem eius verba hic apponere B. L. haud ingratum erit. *Quia multi homines libenter de raris & curiosis quaerunt, & de talibus delectabiliter audiunt & loquuntur: ideo ut fratres nostri praedicatores, quos frequenter apud homines diversorum statuum & conditionum esse videmus etiam inter eos gratius conversentur, quo ad talia valent aptius respondere, & de talibus sciant etiam convenientius conferre: praesens opusculum quod de raris & curiosis quaestionibus ex diversis breviter compilavi: responsum curiosorum nominavi, quia breves in eo responsiones ad huiusmodi quaestiones ordinavi, sicut ex autoritatibus authenticis melius & aptius potui invenire. Et istum librum in quatuor libros partiales distinxi. Primus est de corporibus supercoelestibus s. elementis simplicibus & aliquibus mixtis sc. mineralibus & vegetabilibus. II. est de animalibus in generali & eorum membris & partibus. III. de homine in speciali. IV. de animalibus in speciali. Ponam autem in singulis quaestiones breves sine rationibus pro & contra, quia non ad disputandum, sed ad breviter respondendum & familiariter conferendum illud opusculum ordinavi. Haec ex Conradi ms. Desumfit autem illa, ut ipse fatetur, ex Aristotelis problematibus, Alberto & aliis.*

Quo anno diem suum obierit Conradus supremum, aut quo loco exuviae eius fuerint depositae, indagare haecenus non potui; haud erraverim, si ipsum inter sui seculi monachos retulero optimos doctissimosque, famamque credidero ipsius nunquam intermorituram.

FINIS.

Coll. diss. A. 105, misc. 52